

porrecta taliter ordinat capitulum generale, ut abbas de Ebera dicta loca inspiciat, ordinet et procuret per se vel per alium seu alios, prout expedire iudicaverit in plenaria ordinis potestate.

1327 statuta sunt hec apud Cystercium tempore capituli generalis: inprimis necessitatem sanctissimi in Christo patris domini nostri summi pontificis et sollicitudines, quas gerit pro expugnacione hereticorum et inimicorum ecclesie sacrosancte devote considerans capitulum generale eidem per modum, qui sequitur, ordinat subsidium faciendum, videlicet quod pro omnibus monasteriis infra regnum Francie constitutis ac omnibus grangiis ad eadem monasteria pertinentibus, dato quod sint extra regnum, offert idem capitulum domino nostro summo pontifici nomine subsidii decem milia florenorum infra Octavas Epiphanie domini eidem solvendorum, ita quod dominus Cysterciensis et quatuor primi abbates imponant summas, penas et terminos abbatibus dicti regni auctoritate capituli generalis, dummodo quidquid levatum inventum fuerit abbatibus dicti regni circa capitulum generale anni vicesimi sexti, decuriatur de summa premissa decem milium florenorum, et omnino cesset, quod permissum est. Et quantum^a ad monasteria extra regnum Francie situata, ordinat capitulum generale domino nostro summo pontifici sanctissimo subsidium ad unius decime quantitatem per ipsius mandatum et nuncios colligendos, eo quod principes diversarum provinciarum hoc levare ordini nec permittant, quod omnes abbates sub pena excommunicationis late sentencie dictis collectoribus, cum ad eos devenerint et eos requisierint, infra quindecim dierum spacium solvere teneantur, hoc adhibito moderamine quod si aliis decimas non solverint, eandem sibi ipsis imponant secundum suas consciencias, servatis papalibus declaracionibus super hoc editis, vel alias componatur curialiter cum eisdem, ita tamen, quod quidquid iam levatum est ratione dicti subsidii, abbatibus extra regnum Francie constitutis, decuriatur de summa eos conti(n)gente, et quod promissum est et non solutum, ad nichilum deducatur. . .

a) Cod.: qm = quoniam.

er noch (Kgs. Gesch.-Q. p. 468): De isto famoso barone, si pauca nunc scriberem, congeriem multorum gestorum suorum per compendium breviloquii obfuscarem. Er schliesst: fiat sanctis sociatus.